



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VII. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

centius ex eo, quod cum uni scriberet, plurali numero utebatur, cum stylus Romanæ Curie sit, ut Pontifex in suis literis dum ipse loquitur, ob dignitatis reverentiam plurali numero utatur; erga eum verò cum quo loquitur, singulari, ut probant Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 5. cap. 12.* Germonius *de indulg. Cardin. §. servus Dei. Restau-*

rus Castal. *de Imper. g. 60.* Licet prisca Ecclesie temporibus Pontifex singulari de se nomine, plurali cum cæteris loqueretur, ut constat ex epistola Gregor. Magni ad Eulogium relata *in cap. ecce. dist. 99.* & notavit Ex ea *l. unic. C. de palatii. fol. 20. c. 21.*

CAPUT VII.

^a Idem.

AD falsariorum confutandam malitiam jam alia vice recolimus ^b literas Apostolicas destinasse, in quibus falsitatis modos, ne quis se posset per ignorantiam excusare, meminimus plenius dixisse. Quia verò nonnunquam event, ut falsas literas exhibentes, postquam super his fuerint redarguti, ad excusationem suam se dicant, literas hujusmodi per alios impetrasse, de communi f. n. consilio duximus statuendum, ut qui literis nostris uti voluerint, eas prius examinent; quoniam si falsis literis se usos dixerint ignoranter, eorum sera poenitentia evitare nequit poenas inferius annotandus. Nos enim omnes falsarios, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus, & defensoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos, statuantes, ut clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis, & beneficiis ecclesiasticis perpetuo sint privati. Ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, seculari ^c Potestati tradantur secundum constitutiones legitimas puniendi; per quam & laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitime puniantur; & si clerici fuerint, officiis & beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici, tamdiu maneat excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter: ita tamen, ut in istis, & in aliis malitia gravius, quam negligentia puniatur. Quod & de iis, qui falsas literas impetrant, statuimus observandum.

NOTÆ.

I. ^a *Idem.*) Italegitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, & hanc constitutionem direxerit; quia in ea generalem legem condere voluit contra

falsarios: & ita ab omnibus generaliter observandam proposuit.

^b *Literas.*) Relatas supra *in cap. licet.*
^c *Seculari Potestati tradantur.*) Verba hæc, & textum exposui supra *in cap. ad audientiam.*

CAPUT VIII.

^a Idem.

ACcedens ad præsentiam nostram P. presbyter lator præsentium, suâ nobis infirmatione monstravit, quod cum olim nixus ab Archipresbytero, & Clericis de Catalinovo pro quibusdam causis, super quibus à te se fatebantur indebitè prægravari, ad nostram præsentiam accessisset, nec posset pro eo, quod tunc temporis nos eramus infirmitate gravati, suas literas obtinere, moram apud Sedem Ap. faciendo, post paucos dies contigit ipsum etiam infirmari. Dum autem esset in lecto agritudinis constitutus, accessit ad eum quidam clericus de Casalino Azo nomine, qui tunc temporis morabatur in Urbe, & sub spe dilectionis, & gratiæ promisit ei se quas à nobis postulabat literas obtenturum: qui credidit verbo ejus: & expensas tribuit, quas pro literis ipsis se expensurum præfatus clericus proponebat. Tandem ad eum quaedam commissionis literas ad ven. f. n. Tranensem Archiep. & dilectum filium Abbatem de Coronata portavit: quas prædictus presbyter credens veras esse, & de nostra conscientia emanasse, ad iudices detulit delegatos: cumque in præsentia ipsorum iudicum tu literas argueres falsitatis, & sacerdos ipse, & alii Clerici de Casalino eas veras esse proponerent, tu easdem literas sub sigillo prædictorum iudicum ad nostram præsentiam direxisti: quas utique falsas esse deprehendimus manifestè. Pro quotibi per scripta nostra mandavimus, ut illum, qui præfatas literas impetravit, officio, beneficioque suspensum ad nostram præsentiam dirigeres puniendum. Verum cum sacerdotem prædictum